

laborem superat, quam cum a labore superatur, et sanitatem tunc elucere atque consistere, cum laborum, ciborumque, æqvabilitas est ac symmetria: de superante vero laborem cibo, repletiones, cruditates, atque corruptelas sanguinis, et viscerum, existere. Eodem pertinere cum frigus, tum fumum calidum, tempore hyberno ex ignitis carbonibus in naturalia admissum, iniectosque in illa loca liquores, ac res alias immixtas, venerem porro importunam, et nimiam, ac lascivas titillationes, satis experientia docuit. De usu quoque frequentiore balneorum notius id est, quam ut dici debeat. In primis autem tam suppressionem, quam immoderatum mensium, et lochiorum, fluxum, abortus item, partusque crebros, ac difficiles, et relictas ab utrisque placentulas, et partes placentarum, quas vulgo molas vocant, atque ab his, aliisque, causis excitatas hæmorrhagias uteri, idem mali genus sequi, idque gravius, et curatu difficilius, quotidianæ muliercularum querelæ, et medicorum observationes, testantur. Quibus addendum est, id etiam aliquando minus cauto usui medicamentorum, mensis pellentium, et diureticorum, quin imo purgantium, ut meminit *Platerus*, *Pr. tom. 3, cap. 7*, supervenire, nec raro foedi vir-

B

gi-